

## IL DISCORSO DI J. PH. GABLER (1787)

trascrizione del testo latino  
a cura di Charles Conroy

### Testo originale

Gabler, J. Ph., “De iusto discrimine theologiae biblicae et dogmaticae regundisque recte utriusque finibus”, in Io. Phil. Gabler, *Opuscula academica: Kleinere theologische Schriften. II. Band (Die opuscula academica enthaltend)*. Ediderunt Theo. Aug. Gabler et Io. Godofr. Gabler (Ulm: Stettin, 1831) 179-198.

### Note tecniche

- 1) Il testo latino del 1831 è stato copiato per intero, con la paginazione dell’originale indicata entro parentesi quadre in grassetto. La trascrizione ha voluto essere il più possibile fedele all’originale, ma due eccezioni sono da notare:
  - a) alla pag. 186, secondo periodo (“Sunt quidem...”), la forma “religionis” è una correzione dell’errore evidente dell’originale (dove si legge “religiouis”).
  - b) le note infrapaginiali nell’originale sono indicate con un’asterisco (\*); se c’è una seconda nota nella stessa pagina, troviamo (\*\*). Nella trascrizione che segue, le note sono numerate in modo continuo da 1 a 9, ma all’inizio del testo di ogni nota viene indicata la forma dell’originale.
- 2) Quanto alla lettera “u” con valore consonantico, si noterà che Gabler segue l’antico uso di scriverla con un “u” (mentre spesso nei tempi moderni si preferisce “v” in questo caso; e.g. “nouae” / “novae”). Qualche rara volta, però, sembra che ci siano delle inconsistenze in questo punto, che comunque non sono state corrette nella trascrizione.
- 3) Da notare inoltre che Gabler talvolta preferisce un’ortografia meno comune (con raddoppiamento di una consonante) in parole come “caussa” (= “causa”), “Paullus” (= “Paulus”), ecc.
- 4) Nella data alla pag. 179 (= 30 marzo 1787) la stringa “CIoIo...” corrisponde alla forma più usuale “MD...”.

[179]

De iusto discrimine  
theologiae biblicae et  
dogmaticae  
regundisque recte utriusque  
finibus.

Oratio  
qua recitata

D. XXX. Mart. CIoIoCCLXXXVII.  
munus

Professoris Theologiae Ordinarii  
in Alma Altorfina  
adiit

M. Ioannes Philippus Gabler

---

Magnifice Domine, Academiae Rector;  
Generosissime Dom. oppidi agrique huius Praefecte;  
Viri summe reverendi, consultissimi,  
experientissimi, amplissimi,  
Professores omnium ordinum excellentissimi celeberrimique,  
Fautores optimi, Collegae coniunctissimi;  
Tuque et generis et virtutis nobilitate  
lectissima Studiosorum cohors;  
Auditores omnium ordinum ornatissimi, spectatissimi!

---

Libros sacros nouae praesertim formulae, unum illum et limpidissimum esse fontem, ex quo ve-[180]ra omnis et certa religionis Christianae cognitio haurienda sit; sacrumque illud Palladium, ad quod in tanta humanae scientiae et ambiguitate et vicissitudine unice confugiendum nobis sit, si ad solidam rerum diuinarum intelligentiam adspiremus, velimusque certam firmamque salutis spem concipere: id quidem, Auditores Spectatissimi, uno et consentiente ore Christianis sacris addicti profitentur omnes. — Sed unde in hoc consensu tot sententiarum in religione ipsa diuortia? unde tam funesta partium discidia? Scilicet proficiscitur haec dissensio ab ipsarum sacrarum scripturarum in nonnullis locis obscuritate; scilicet a praua illa consuetudine, sua sensa et iudicia inferendi in hos libros, vel a seruili ratione eos interpretandi; scilicet a neglecto discrimine religionis et theologiae; denique a male mixta theologiae biblicae simplicitate et facilitate cum theologiae dogmaticae et subtilitate et severitate.

Etenim libros sacros multis in locis, sive verba spectemus, siue res ipsas, summa haud raro tegi obscuritate, id sane non est, quod multis verbis demonstrarem; nam et res ipsa loquitur, et clamant tot irriti interpretum labores. Cuius rei plures caussae sunt, tum ab ipsa rerum in his libris traditarum natura ac indole, tum ab insolentia verborum, et universi dicendi generis, tum a ratione temporum et morum a nostris valde diuersa, tum denique ab inscitia multorum hos libros siue ex antiqua consuetudine omnino, siue ex usu loquendi cuique scriptori proprio recte interpre-**[181]**tandi. Has vero caussas enarrare omnes ac singulas, hoc quidem loco nil attinet; cum per se pateat, ex hac scripturarum sacrarum obscuritate, undecunque illa fluxerit, non posse non magnam exoriri sententiarum varietatem. — Quam aduersam religionis nostrae sortem auxit etiam infaustus ille multorum ausus ad fingendi temere ipsis sacris scriptoribus suas quasque opiniones vel leuissimas. Scilicet firmare hi student opinionum leuitatem sacrorum auctorum grauitate: est enim omnino aliquid, commentis suis humanis diuinam aliquam induere speciem. Quam vim non ii modo libris sacris inferre existimandi sunt, quos recte interpretandi facultate prorsus destitutos sciamus; verum etiam sagacissimos saepe, harumque rerum peritissimos, interpretes eo delabi animaduertimus, ut, neglectis iustae interpretationis legibus, suo ipsorum ingenio nimis indulgeant. Neque eos denique apte et legitime eruere e sacris scripturis placita sua putemus, qui ipsis verbis sacris utantur: accidit enim saepenumero, ut, cum in verbis haereant, nec ad usum loquendi scriptoribus sacris proprium attendant, aliud quiduis potius, quam verum sensum horum auctorum expriment. Nam si metaphoras, ut hoc uno utar, cum puluisculo excutiunt, ubi res ad uniuersas notiones reuocanda est, inferunt sane sensum iidem, qui efferre eundem ex libris sacris sibi persuadent.<sup>1</sup>

**[182]**Alia, eaque grauis, dissensus caussa est in neglecto religionis a Theologia discrimine; nam si, quod theologiae proprium est, id alii ad religionem ipsam referunt, amplissimum hic, facile intelligimus, acerrimis sententiarum diuertiis locum esse, iisque eo funestioribus, quo aegrius quisque, quae ad religionem ipsam referat, eripi sibi patiat. Multum vero interesse religionem inter et theologiam, post Ernestium, Semlerum, Tellerum, Spaldingium, Toellnerum, aliosque, nuper egregie docuit Tittmannus,<sup>2</sup> Vir Venerabilis. Est enim, ut cum verbis Viri Summi loquar, religio doctrina diuina in scripturis tradita; docens, quid quisque Christianus et scire et credere et facere debeat ad tenendam huius et futurae vitae felicitatem. Est igitur religio scientia popularis et perspicua; sed theologia est scientia subtilis, erudita, multarumque artium comitatu circumfusa, eademque non modo e sacra scriptura, sed etiam aliunde, ex philosophiae praesertim et historiarum ambitu, petita: estque adeo disciplina arte et ingenio humano elaborata, ab obser-**[183]**vandi diligentia et assiduitate profecta, variasque cum reliquis disciplinis mutationes experta: nec modo res tractat religioni Christianae proprias; verum etiam, quaecunque aliquo modo cum iis coniuncta sunt, et diligentius et uberius exponit, locumque denique facit dialecticae subtilitati et seueritati. Sed hanc literarum et historiarum copiam non capit religionis popularitas.

Aluit tandem, et, proh dolor, diutius alet tristitia haec animorum dissidia infelix illud studium miscendi res plane diuersas, theologiae puta biblicae, quam vocant, simplicitatem cum theologiae dogmaticae subtilitate, cum tamen altera ab altera accuratius, quam quidem hucusque fieri a plerisque soleret, distinguenda mihi videatur. — Cuius quidem rei quae necessitas statuenda sit, quae tenendus modus: hoc ipsum est, quod, quantum per virium imbecillitatem liceat, quamque fieri possit, breuissime hac oratione mea exponere apud

-----  
<sup>1</sup> **[181-182 \*]** Legi in hanc caussam cum primis merentur, quae vere et docte obseruauit b. Ernestius, **[182]** vir immortalis, in commentatione: pro grammatica interpretatione libror. sacr., et: de vanitate philosophantium in interpretatione libror. sacr. Opusc. philolog. ed II. p. 219 sqq. et Morus, Vir summus, in prolus. de discrimine sensus et significationis in interpretando, Lips. 1777.

<sup>2</sup> **[182 \*]** Progr. de discrimine theologiae et religionis. Viteberg. 1782.

animum constitui. — Veniam igitur Vestram A. O. O. H. vehementer mihi expeto, atque, ut dicenti mihi aures mentesque praebeatis beneuolas, Vestraque humanitate timidius mihi de rebus grauibus commentanti animum addatis, Vos omnes ac singulos ea, qua decet, obseruantia, ita ut magis ex animo plane non possim, oro rogoque.

Est vero theologia biblica e genere historico, tradens, quid scriptores sacri de rebus diuinis senserint; theologia contra dogmatica [184] e genere didactico, docens, quid theologus quisque pro ingenii modulo, vel temporis, aetatis, loci, sectae, scholae, similiumque id genus aliorum, ratione super rebus diuinis philosophetur. Illa, cum historici sit argumenti, per se spectata semper sibi constat (quamquam et ipsa, arte elaborata, aliter ab aliis fingatur): haec vero cum reliquis disciplinis humanis multiplici conuersioni est obnoxia: id quod constans et perpetua tot seculorum obseruatio satis superque demonstrat. Quantum enim differunt a primis iam religionis Christianae initiis Ecclesiae doctorum, Patres vocant, pro aetatis coelique varietate, systemata! Nam et theologiae suam esse historia docet et chronologiam et geographiam. Quantum ab antiqua hac disciplina discrepat theologia scholastica medi aevi spissa barbariei caligine tecti! Neque, postquam ex his tenebris emergerat doctrinae salutaris lux, sublatum penitus fuit vel in ipsa repurgata ecclesia, ut Socinianorum et Arminianorum partes transeam, omne theologiae disciplinae discrimen. Alia enim est, ut in ecclesia Lutherana subsistam, disciplina Chemnitii et Gerhardi, alia Calovii; alia Musaei et Baieri, Buddei alia, alia Pfaffii et Moshemii, alia Baumgartenii, Carpovii alia, alia Michaelis et Heilmanni, alia Ernestii et Zachariae, Telleri alia, alia Walchii et Carpzovii, Semleri alia; alia denique Doederlini. Sed sacri profecto scriptores, non ita sunt versipelles, ut possint adeo iidem variam hanc disciplinae theologiae speciem et formam induere. Quod quidem non eo dictum esse volo, ut [185] omnia incerta in theologia et dubia habeantur, aut mero arbitrio humano cuncta permittantur; sed eo tantum valeant hactenus dicta, ut diuina ab humanis diligenter dignoscamus, discrimen aliquod theologiae biblicae et dogmaticae statuamus, atque secretis iis, quae in libris sacris proxime ad illa tempora, illosque homines spectent, eas modo notiones puras, quas prouidentia diuina omnium locorum et temporum esse voluit, philosophiae nostrae super religione fundamenti loco substernamus, finesque adeo diuinae sapientiae et humanae curatius signemus. Sic demum Theologia nostra certior fiet firmiorque, nihilque ei amplius metuendum erit a saeuissimo quoque hostium impetu. Defunctus quidem cum laude iam est hac prouincia b. Zachariae:<sup>3</sup> quantum vero id sit, quod aliis reliquerit emendandum, rectius definiendum, atque amplificandum, vix est, quod moneam. Redit autem res omnis eo, ut partim iustum modum notionum auctorum sacrorum caute informandarum recte teneamus; partim earum usum dogmaticum, huiusque fines rite constituamus.

Primum igitur est in hac re grauissima, ut notiones sacras diligenter colligamus, atque, si non sint in sacris scripturis expressae, eas ex collatis inuicem locis conformemus ipsi. Quod quo felicius procedat, nec quidquam temere aut cupide agatur, multiplici sane cau-[186]tione opus est atque circumspectione. Ante omnia attendendum erit hoc: in his libris sacris non unius viri sententias contineri, nec unius eiusdemque aetatis aut religionis. Sunt quidem scriptores sacri omnes viri diuini, atque auctoritate diuina muniti; sed non omnes eamdem religionis formam spectant: alii sunt doctores antiquae, eiusdemque elementaris, formulae, quam Paullus ipse *πρωχῶν στοιχείων* nomine designat; alii sunt recentioris et melioris formulae Christianae. Itaque sacri auctores, quantumuis pari reuerentia propter auctoritatem diuinam ipsorum scriptis impressam a nobis colendi sint, non omnes tamen in eodem loco, si dogmaticum usum spectamus, haberi possunt. Neque omnino *θεοπνευστίαν* delevisse in viro quoque sancto propriam ingenii vim et naturalis rerum intelligentiae modum, hoc sane multis

-----  
<sup>3</sup> [185 \*] In libro notissimo ab eo inscripto: *Biblische Theologie*.

verbis non eget. Denique, cum, hoc quidem loco, id modo quaeratur, quid quisque horum virorum de rebus diuinis senserit, atque hoc possit, nulla auctoritatis diuinae ratione habita, ex ipsis eorum libris intelligi, satius omnino esse equidem existimem, ne quicquam, quod probatione aliqua egeat, ut concessum sumere videamur, in hac prima quaestione, ubi nihil referat, qua auctoritate hi viri scripserint, sed quid senserint, hunc diuinae inspirationis locum plane praetermittere, eumque tum demum occupare, ubi de usu dogmatico notionum biblicarum agatur. — Quae cum ita sint, seiungamus necesse est, nisi in cassum laborare velimus, singulas religionis antiquae et nouae periodos, singulos auctores, singula denique dicendi genera, qui-[187]bus quisque pro ratione temporis et loci usus fuerit; sitne genus historicum, an didacticum, an poeticum. Quam viam rectam, etsi molestam et parum iucundam, si deserimus, fieri non potest, quin ad deuia quaeuis et incerta aberremus. Colligendae igitur sunt sedulo, et in suum quaeque locum digerendae notiones singulorum, Patriarcharum, Mosis, Daudis et Salomonis, Prophetarum, et quidem singulatim, Esaiae, Ieremiae, Ezechielis, Danielis, Hoseae, Zachariae, Haggai, Malachiae, et reliquorum; nec contemnendi ad hos usus sunt multis de caussis libri apocryphi: deinde e nouae formulae epocha notiones Iesu, Paulli, Petri, Iohannis, Iacobi. Quod negotium duabus potissimum partibus absoluitur: altera est in legitima locorum huc pertinentium interpretatione; altera in diligenti notionum auctorum sacrorum omnium inter se comparatione.

Prior quidem pars plurimum habet difficultatis.<sup>4</sup> Nam non modo ratio hic habenda est usus loquendi, tum communis, qui est in N. T. et hebraeo-graecus et graecus illius temporis vulgaris, tum eius, qui cuique scriptori proprius est; atque adeo significationis, quae in certo aliquo loco sola obtineat, siue [188] laxior illa sit, siue angustior, addita simul ratione huius diuersitatis, et declarata, si fieri possit, communi illa notione, in qua plures eiusdem vocis significatus conueniant:<sup>5</sup> verum etiam ipsius sententiae vis et ratio indaganda est; quae prima sit verbi notio, quaeue ei modo adiuncta. Neque enim cauto interpreti subsistendum est in notione primaria verbo subiecta, sed pergendum etiam ad secundariam, quae vel ab aetate, vel ab ingenio, vel a disciplina verbo adiuncta sit, atque hac ipsa de causa inter insigniores referenda. — Deinde spectanda est proprietates aut improprietates vocis; in qua quidem re peccatur potissimum: ne in tropis haerentes noua dogmata procudamus, de quibus ne cogitauerint quidem auctores. Id quod saepe est non modo in libris poeticis aut propheticis; verum etiam in Apostolorum scriptis, ubi haec improprietates verborum repetenda est vel ab ingenii fecunditate, vel ab aduersariorum consuetudine, vel ab usu vocabuli primis lectoribus familiari.<sup>6</sup> Facit huc plurimum, si plures eiusdem auctoris, veluti Paulli, sententias inter se diligenter contendimus, et comparandis rebus et verbis multos locos, qui varie expressam [189] exhibent eandem sententiam, ad unam hanc notionem et rem reuocamus: id quod nuper egregie et demonstrauit et illustrauit Morus<sup>7</sup> Vir summus, cuius nomen elogium est. — Denique probe dispiciendum est, utrum Apostolus suis, an aliorum verbis loquatur; utrum sententiam aliquam illustrare modo, an vero demonstrare animus illi sit; et si hoc velit, repetatne argumentum ex ipsa doctrinae salutaris interna natura ac indole, an ex effatis librorum veteris formulae, et quidem accommodate ad sensum primorum lectorum.

-----  
<sup>4</sup> [187 \*] Qua de re egregie nos monuit b. Ernestius, in commentatt. de difficultatibus N. T. recte interpretandi; et: de difficultate interpretationis grammaticae N. T. Opusc. philol. ed. II, p. 198 sqq. et p. 252 sqq.

<sup>5</sup> [188 \*] In qua quidem cognatione significationum eiusdem verbi indaganda quae cautio adhibenda sit, docuit S. V. Morus in prolus. de nexu significationum eiusdem verbi. Lips. 1776.

<sup>6</sup> [188 \*\*] f. disp. de discernenda propria et tropica dictione praes. s. v. Noesselt. Hal. 1762.

<sup>7</sup> [189 \*] Egit hoc Vir summus tum in disp. de notionibus universis in Theologia; tum in progr. de utilitate notionum universalium in Theologia. Lips. 1782.

Quamquam enim sententiae Apostolorum nostram fidem ita merentur, ut carere facile possimus quacunq̄ue eorundem argumentatione, primi tamen lectores argumenta desiderabant, eaque apta sensibus suis atq̄ue iudiciis. Multum igitur interest, utrum Apostolus sententiam aliquam proponat ceu partem doctrinae Christianae; an potius illa sit ad necessitatem illius temporis conformata, atq̄ue solarum praemissarum, quas Logici vocant, loco habenda. Quodsi haec omnia recte teneamus, tum demum eliciemus veras notiones sacras auctori cuique familiares; non quidem omnes (his enim non locus erat in iis, qui ad nos peruenere, libris), sed illas modo, quas scribendi occasio aut necessitas animis ipsorum excusserat, nihilo tamen secius sat multas, atq̄ue eius [190] haud raro generis, ut reliquae omissae haud difficulter colligi inde queant, si vel constituent unicum principium sententiarum expresse declaratarum, vel necessaria aliqua consecutione sint cum illis coniunctae: quae tamen res multum habet cautionis.

Quo facto transeundum demum est ad alteram negotii partem, diligentem scilicet et sobriam variarum utriq̄ue formulae addictarum partium inter se contentionem. Itaque subiiciendae sunt, facem praeferente Moro, Viro Summo, singulae sententiae notionibus universis, praesertim iis, quae in hoc vel illo S. S. loco legantur expressae, hac tamen lege, ut suae cuique aetati, religionis formulae, prouinciae, ac ingenio constant notiones; neque inter se misceantur, quae quacunq̄ue de causa a se inuicem sint disiuncta. Quae cautio si negligatur, fieri non poterit, quin notionum universarum beneficium in summum cedat veritatis detrimentum, omnemq̄ue operam in eruendis sollicitè singulorum auctorum sententiis ante collocatam inanem reddat et destruat. Sin autem haec comparatio ope notionum universarum ita instituat, ut suum cuique maneat integrum, atq̄ue, in quo singuli amice conueniant, aut a se inuicem discrepent, clare pateat; tum demum laeta erit purae nec alienis mixtae theologiae biblicae facies, atq̄ue habebimus tandem tale systema theologiae biblicae, quale cum laude eloborauit [sic] Tiedemannus philosophiae stoicae.

His igitur sententiis virorum diuinorum e [191] scripturis sacris diligenter collectis, apte digestis, ad notiones uniuersas caute reuocatis, atq̄ue sollicitè inter se comparatis institui cum fructu poterit quaestio de usu illarum dogmatico, regundisque recte utriusq̄ue theologiae et biblicae et dogmaticae finibus. Quo nomine disquirendum est potissimum, quatenam sententiae spectent ad constantem doctrinae Christianae formulam, atq̄ue adeo ad nos ipsos pertineant; quaeue modo hominibus certi cuiusdam aevi aut formulae dicta sint. Constat enim inter omnes, non uniuersum sacrarum literarum argumentum destinatum esse cuiuscunq̄ue generis hominibus; sed magnam earum partem certo potius cuidam tempori, loco ac generi hominum ex ipso Dei consilio fuisse adstrictam. Quis quaeso ritus Mosaicos a Christo iam abrogatos; quis Paulli monita de velandis in concione sacra feminis ad nostra tempora referat? Mosaicae ergo formulae notiones neque a Iesu eiusq̄ue Apostolis, neque a ratione ipsa confirmatae nullius erunt usus dogmatici. Pari ratione indagandum sedulo est, quid in libris N. T. accommodate ad notiones aut necessitates primi orbis Christiani dictum sit, quidue referendum ad constantem salutaris doctrinae typum; quid in effatis Apostolorum vere diuinum sit, quidue forte mere humanum. — Atq̄ue hoc loco incidit tandem peropportune quaestio de modo ac ratione Θεοπνευστίας. Quae causa sane difficillima minus recte, meo quidem sensu, instruitur ex iis dictis Apostolorum, in quibus afflatus cuiusdam diuini mentionem faciunt: cum non solum singula haec loca multum obscuritatis ha-[192]beant, et ambiguitatis; verum etiam cauendum nobis sit, si cum ratione, nec temere aut cupide in his rebus versari velimus, ne ultra iustos limites hos sensus Apostolorum transferamus, praesertim cum sola rerum effecta, non caussae, sensibus percipiuntur. Sed, si quid iudico, res omnis conficienda est ex sola obseruatione exegetica, eaque perpetua et diligenti, atq̄ue collata eadem cum disertis Servatoris nostri in hanc caussam promissis: quo demum certo efficiatur, utrum omnes omnino cuiuscunq̄ue generis ac modi sententiae Apostolorum sint vere diuinae, an potius nonnullae, quae quidem ad salutem nil referant, ipsi eorum ingenio fuerint relictae.

Haec igitur omnia simulatque recte obseruata, ac diligenter constituta fuerint, erunt tandem illa S. S. selecta atque perspicua, eademque haud dubiae lectionis, loca, quae ad religionem omnium temporum Christianam pertineant, exhibeantque claris verbis formulam fidei vere diuinam, dicta veri nominis classica, quae possint fundamenti loco subtiliori obseruationi dogmaticae substerni. Ex his enim solis erui possunt haud dubie certae illae et indubitatae notiones universae, quae unice usum habent in theologia dogmatica. — Quae notiones universae si iusta interpretatione ex illis dictis classicis euoluuntur, euolutae diligenter inter se comparantur, comparatae suo quaeque loco apte ita disponuntur, ut commodus et probabilis doctrinarum vere diuinarum nexus ac ordo existat; tum vero resultat theologia biblica, ex significatione quidem vocis pressio-[193]ri, quam b. Zachariae in adornando opere notissimo secutum esse nouimus. Atque his firmis theologiae biblicae, hoc pressiori quidem sensu acceptae, fundamentis eo, quem hactenus descripsimus, modo iactis superstruenda tandem est, nisi incertas rationes sequi velimus, theologia dogmatica, eaque nostris temporibus accommodata. Efflagitat autem aevi nostri ratio, ut tum dogmatum diuinarum consensum cum decretis rationis humanae accurate doceamus, tum, qua fieri possit, arte et sollertia singula doctrinae capita ita elaboremus, ut neque subtilitas, siue in locis apte disponendis, siue in argumentis recte tractandis, neque elegantia in universo habitu ac forma, neque humanae sapientiae, philosophiae cum primis et historiarum, copia ulla in parte desideretur. — Itaque varia esse debet theologiae dogmaticae, cum proprie sit philosophia Christiana,<sup>8</sup> ratio et forma pro varietate et philosophiae, et omnino sensus humani de eo, quod subtile sit, quod eruditum, quod aptum et commodum, quod elegans denique et venustum: eadem tamen manente in tanta scientiarum commutatione ipsa theologia biblica, quatenus scilicet modo tractet, quae viri diuini de rebus ad religionem pertinentibus senserint, nec ad nostros sensus sit conficta.

Quae cum ita sint, A. O. O. H. intelligimus, [194] quantum in perficiendis disciplinis theologicis, si solidam quidem doctrinam adpetamus, nobis adhuc elaborandum sit; at vero etiam, ad quantum perfectionis fastigium euehi illae possint, modo rectam certamque earum excolendarum viam et rationem teneamus. Et hanc meliorem, quae mihi videatur, viam recte monstrare, idoneumque has res tractandi modum curatius describere; id vero erat, quod mihi dicturo hodie proponerem: quo tandem successu id egerim, iam iudicate ipsi! — Nihil, ut vidistis, in rebus ipsis definire ausus sum; neque, nisi post multorum annorum usum et obseruationem, quidquam in his definiam: hoc enim non tironum est, sed veteranorum. Spectauit potius oratio omnis ad solam methodum theologiae biblicae certius et cautius instruendae, rectiusque designandorum illius finium; atque aliis modo harum rerum intelligentioribus auctor suasorque existere volui, ut, quibus me ipse imparem sentiam, hac quidem via a me descripta tentent, perficiant; dum modo id fiat cum modestia et reuerentia erga Deum, religionem et sacras scripturas, ac sine nouandi temeraria libidine et festinatione. Optandum vero est propter ipsius religionis integritatem et sanctitatem, ut theologiae scientia et biblica et dogmatica in dies laetius efflorescat!

Restat nunc, ut, erepto rebus humanis Viro Summe Reuerendo D. Ioanne Augustino Dietelmair, Theologo de hac academia et ecclesia meritissimo, singulari gratia Perillustrium Minorum Academiae [195] nostrae Curatorum ex remotissimis Germaniae terris ad theologiam in celebri hac bonarum literarum Universitate publice profitendam euocatus, atque tot tantisque beneficiis cumulatus, pium gratumque animum testificer. Nihil igitur magis in votis habeo, quam ut sub clementissimis Augustissimi Imperatoris Iosephi II. auspiciis in dies crescat et augeatur inclyta Norimbergensium Respublica. — Adsit Summum Numen prouida

-----  
<sup>8</sup> [193 \*] cf. Toellner theologische Untersuchungen St. 1, p. 264 sqq.

sua cura Splendidissimo inclytæ huius reipubl. Senatui, ut felicissimus sit prudentissimorum consiliorum exitus, omniaque vergant in Ipsorum Virorum Perillustrum salutem, gentiumque splendidissimarum incolumitatem. — Adfulgeat gratia diuina Perillustribus cum primis huius Academiae Curatoribus, Dominis meis gratiosissimis, atque meritorum gloria non minus, quam stemmatis splendore conspicuis, qui non solum amplissimo hoc loco in Venerabili Theologorum Ordine gratiose mihi concesso, verum etiam ingenti aliorum beneficiorum cumulo, aequè ac Perillustres Domini Provinciales, tantopere me Sibi deuinxerunt, ut referendis debitis gratiis per omnem vitam me imparè sentiam. Retribuat igitur Deus T. O. M., quæ ipse quidem reddere haud valeam; atque Illis accedere iubeat summam exoptatissimamque rerum omnium prosperitatem. Faxit denique, ut, quaecunquè in salutem academiae nostræ ceperint, consilia ad exitum pertingant longè felicissimum. Id vero agam sedulo, tuendis pro viribus, si Deus vitam concesserit, singulis officii [196] mei partibus, ut non apud ingratum beneficia collocasse Viri Perillustres intelligant.

Ad Te me nunc conuerto, Magnifice Domine, Academiae Rector.<sup>9</sup> Tanta vero Tua sunt in me merita; tanta et tam singularia hucusquè in me extare iussisti insignis Tui fauoris et beneuolentiæ specimina, ut nunquam non sanctissima mihi futura sit Venerandi Nominis Tui memoria. Dignas quidem tanto fauore, quem Tremoniae iam expertus sum, gratias tibi, Vir Magnifice, persoluere non possum; si quid autem in me est, quod me in posterum aliqua ex parte Tibi commendare possit, est profecto pius, quo Te veneror, animus, qui Supremum Numen, ut, quæ pro Te concepit, vota rata esse iubeat, ardentissimis implorare precibus nunquam desinet: Velit Deus O. M. Te, insigne academiae nostræ decus et ornamentum, mihi què fautorem optimum, ad seros usquè annos saluum seruare atquè incolumem, tantaquè Te nunquam non beare prosperitate, quæ non nisi largissimam mihi bonisque omnibus suppeditare possit, laetandi, Tibique et Academiae universæ gratulandi, materiem. —

[197] Utinam presentem venerari liceat Magnificum huius Academiae Procancellarium, Virum, cum de omni re literaria, tum de hac literarum Universitate longè meritissimum. Faxit Deus, ut in commodum rei et publicæ et literariæ quam diutissime splendidam suam ornet prouinciam, atquè fructus tam egregii in rem patriam studii percipiat uberrimos.

Eadem precor tibi, Generosissime Domine, Oppidi agrique huius Praefecte, in quo, animi humanitatem, an muneris grauitatem magis venerer, nescio. Me enim aduenientem tanta excepisti beneuolentiâ, ac si iam diu de academia et ecclesia bene essem meritis, tantoquè me hucusquè amplexus es fauore, ut me teneas Tibi obstrictissimum. Servet Te Deus cum generosissima gente quam diutissime, cumuletquè Te quouis felicitatis genere.

Ad vos tandem deflectit oratio, Professores omnium Ordinum Excellentissimi, Celeberrimique, Favtores [sic] atquè Collegae Honoratissimi, Exoptatissimi; Vosquè praesertim, Viri summe reverendi, Venerando Theologorum Ordini adscripti. Ex quo huc aduenissem, tanta me excepistis humanitate, Vosquè mihi beneuolos adeo praestitistis atquè amicos, ut suauissimum hoc, quod Vobiscum me coniunxit, vinculum in summa vitae meae felicitate collocem. Credite, rogo, me, ut nunquam beneficiorum immemorem, ita et beatissimum me reputatu-[198]rum, si quocunquè officii genere Vestram et in futurum demereri, demeritamquè seruare possim amicitiam. Fortunet Deus, hoc impense precor, res Vestras et priuatas et publicas: seruet atquè confirmet vires Vestras per longissimam annorum seriem, ut quam diutissime gratulari sibi possit haec academia de tantis Viris, fama meritisquè celebratissimis.

---

<sup>9</sup> [196 \*] Sceptra academiae nunc tenet Vir Excellentissimus atquè Amplissimus Georgius Andreas Will, Vir celeberrimus, et de hac Academia et de rebus Norimbergensibus omnino longè meritissimus, Fautor mihi optimus.

Vobis denique, Commilitones Ornatissimi, pro tanto Vestro in me amore, quem mihi toties probastis, gratissimum animum profiteor, atque quoduis officiorum studiorumque genus laetus gratusque offero. Adiuuet Deus Vestra literarum studia, ut patriae nunc spes, ipsius quondam splendeatis decus ac ornamentum!

Faxit Supremum Numen, ut uniuersa haec Academia magis magisque floreat, vigeat!  
Dixi!